DE
POESI THEOCRITEA OBSERVATIONES.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LITERARUM ROSTOCHIENSI

OBTINENDORUM CAUSSA

MENSE OCTOBRI ANNI MDCCCLXXIV

EXHIBUIT

REINHOLDUS BIESE

PUTBUSIENSIS.

STRALESUNDIAE

FORMIS FERDINANDI STRUCK.

PATRI CARISSIMO

S.

Diiudicantibus nobis, quantam vim ad humanitatis artiumque partes excolendas singulae nationes habuerint, quarum nomina resque gestas omnium temporum memoria nobis tradidit, profecto nulla reperitur, quae adeo ad speciem humanitatis efficta fuerit et plus ad ingenium humanum conformandum valuerit, quam gens Graecorum. Nam illi omnes suas ingenii facultates, quas natura iis largita erat, per se ipsi et paene omni aliorum adiumento carentes sincere excoluerunt, quoniam, quidquid extrinsecus repetiverunt, ad suas rationes dum taxat accommodatum adhibuerunt. Omnes omnino artes liberales, quibus vitae humanae commoda augentur, et ortum suum et incrementa Graecis debent neque ulla doctrina est, nullae praestantes disciplinae, quas illi non modo non invenerint atque inchoaverint, sed perfecerint et absolverint. Atque ob eas ipsas causas etiam Graecae literae omnibus temporibus apud omnes populos artibus eruditos ac politos eximium et principem locum obtinuerunt et potissimum Graecorum poëtica praestat, quod omnibus partibus tam apte atque concinne composita est, nihil ut supra cogitari possit, ut quicunque usquam ad spiritus divini gloriam adspirare voluerunt, ii omnia studia sua ad eorum artem poëticam imitandam contulerint. A primis enim elementis atque incunabulis ad absolutionem usque gradatim progressa Graecorum ars poëtica omnia carminum genera continuatione quadam atque ordine excoluit et omnibus numeris partibusque absolvit eo potissimum, quod nunquam complura eorum iisdem temporibus tractabantur, sed semper alterum poësis genus alteri tum demum succedebat, cum ad umbilicum adductum atque conformatum erat. Sed cum Graecorum res publica Alexandri Magni

temporibus collapsa omnesque venae virtutis incisae et libertas adempta esset ea, sine qua ingenui hominum animi ad altiora non adspirent, Graecos studium ac facultas procreandi aliquid egregii in dies magis defecit. Iacente Graecia singulisque civitatibus per bella civilia eversis quid mirum, quod Athenae non iam sicut antea sancta quaedam sedes ac domicilium artium literarumque esse poterant, quid mirum, quod in communi urbium et agrorum vastatione hominumque perturbatione, in perditorum morum miseria et pesti, quid mirum, quod tam angustis temporibus literarum studia vehementer afflicta erant, ut metuendum esset, ne omnis eorum dignitas extingueretur.

Iam vero in illa immani calamitate unicum Musarum refugium erat Alexandria, quae urbs ab Alexandro Magno condita et beneficio regum Ptolemaeorum clarissimis bonarum artium, doctrinae atque eruditionis opibus instructa tunc viros doctos, qui literarum studiis in otio indulgerent, alliciebat hospitioque excipiebat. Ibidem cum esset bibliotheca antiquissimis literarum Graecarum monumentis referta et museum unicum literarum, viri docti Alexandrini, quaecunque ingenium Graecorum in artibus literisque protulerat, insigni diligentia studuerunt ab interitu vindicare, colligere, disponere, compilare, commentari, illustrare, cuius studii ac laboris fructus etiam nunc capere nobis licet cum in omnium fere rerum antiquarum scientia, tum in arte grammatica.

Quodsi quaerimus, quidnam iis temporibus in arte poëtica profectum sit, ad eam sententiam adducimur, poëtas qui vocantur Alexandrini doctos illos quidem, sed nativa illa ingenii vi, qua poëtarum Graecorum principes Graecia iam maxime florente excellentes fuerunt, omnino fere destitutos fuisse neque quidquam in arte poëtica praestitisse, quod cum eis, quae prioribus aetatibus ingenium Graecorum in lucem protulit, aliquo iure comparari possit. Et profecto quantopere tunc apud Graecos ingenii indoles exaruerit atque exstincta sit, ex nulla re evidentius apparet quam ex eo, quod ne ab Alexandro quidem gestae res vates excitaverunt exceptis illis, qui

eius amici erant. Erat enim illius aetatis ingenium senile ac decrepitum et ut idoneum ad ea, quae iam in diversis cognitionis, scientiae, artis generibus procreata erant, conquirenda atque conservanda, ita prorsus non aptum ad nova quaedam invenienda atque efficienda. Quamvis vero illis temporibus ingenii ubertas atque inveniendi insita quaedam fecunditas poëtis deesset, tamen Musarum gratiam periclitari voluerunt et quae eis defuerunt eo expleri posse sperarunt, quod ad ipsam imitationem sese referebant, qua quidem re effectum est, ut Graecorum poësis flos, qui olim ex nativa ingenii indole laetius emerserat, tunc denuo quamvis artificiose excitaretur.

Atque in hoc studio suae ipsorum artis poëticae ad optimos antiquorum poëtarum fetus effingendae maxime adiuti sunt eo, quod assidua ad carmina poëtarum principum applicata animi propensione in eorum ingenia ita sese quasi insinuabant, ut tandem tectius quoque eorum rationem et orationem aequali quadam mediocritate assequerentur. Ac tamen Alexandrinorum quae vocatur poësim non ex recenti ipsius animi fonte emanasse, sed magis quaesitam artem ac molestam diligentiam prae se ferre non latet. Nam etiamsi poëtae illi Alexandrini certe non nulla carmina ex caelesti quodam mentis instinctu fuderunt, tamen grammaticorum studiorum, quibus imprimis indulgebant, fructus ita praevalebant, ut quaecunque in arte poëtica profecerunt doctrinam redolerent doctisque contemplationibus de rebus historicis, geographicis, fabulosis, astronomicis impleta essent. Itaque eo consilio putares ea composita esse, ut iis ad ingentem scientiae copiam ostentandam fructusque doctorum studiorum venditandos opportuna fieret occasio. Quid enim aliud statuendum est, cum exempli causa ad puellae cuiuslibet, quae eorum animos cepit et delenivit, eximiam venustatem carmine praedicandam adeo non veritatem ex ipsa natura exprimant, ut remotos obrutosque fictarum fabularum fontes adeant et ad earum obscura integumenta descendant. Atque ad hanc insolentem rationem etiam nimis effusum illud studium ab ipso argumento aberrantes narrationes carminibus inserendi referendum esse puto, quoniam pleraeque

earum res ex antiquarum literarum artiumque studiis depromptas tractant. Quanquam negari non potest, non omnia carmina eius generis molestam doctrinam redolere, ut non omnino haec ratio Alexandrinorum propria sit. Iam vero si quaeris, quaenam et qualia fuerint argumenta, quae poëtae in conscribendis carminibus sectabantur, dicendum est ea maxime varia fuisse eoque uberiora, quo studiosius poëtae illi Alexandrini in omnibus poësis generibus elaboraverunt. Sed in hac re praecipue hoc peculiare habent, quod non perampla argumenta tractanda sibi proposuerunt, sed carmina sua angustis finibus circumscribere studuerunt, id quod Callimachi dicterio illo *μέγα βιβλίον μέγα κακόν* iocose significatur et admonitione eiusdem, ne quis velit a se procreari *μέγα ψοφέουσαν ἀοιδήν.* (fr. 165). Atque eodem etiam Theocriti idyllii VII versus 45—48 referendi sunt, quibus poëta omnem modum transiens suae aetatis studium Homerum amplissimis poëmatis epicis imitandi respicit atque perstringit. Ecquid mirandum est, quod poëtae, quoniam, qui tunc erat Graecorum status, grandium sententiarum copiam ex recenti nationis ipsius fonte haurire non poterant, ne sensum quidem nationis exemplo suo prodere studuerunt? Quid? Quoniam in iis nihil excelsi atque elati, nulla audacia inerat, quoniam non divino illo impetu ac furore afflati praestare poterant, quo antiquissimi poëtae penitus inflammati animos impellere soliti erant atque etiam nunc nos iucunde movent, quid mirum, quod illi animi humiles affectiones verbis exprimere acquieverunt. Huc accessit, quod etiam ea de causa approbationem popularem non curabant ac petebant, quoniam plerique in aula cuiusdam principis versati eius assensionem atque gratiam captare satis habebant, id quod assequi studuerunt, cum principis virtutes quamvis parvas cantu collaudarent et ad immortalitatis memoriam consecrarent. Num igitur poëtae Alexandrini reprehendendi sunt, quod angustiore laude contenti tenue et subtile argumentum tractaverunt? quod etiam domesticae vitae imaginem et cotidianam ac privatam consuetudinem verbis exprimere, res amatorias, convivia, rusticationes celebrare adamarunt?

Immo negari non potest eos, cum parva quasi poësis arva colerent, amabilem quandam simplicitatem atque amoenitatem consecutos esse. Atque haec laus eo potissimum augetur, quod summam operam versuum formae dederunt et dictionis artificio. Neque splendidis quidem verborum ac sententiarum conformationibus neque vividis translationibus ac luminibus aut grandibus imaginibus animos praestringunt et hoc ipsum studium versus subtiliter atque artificiose expoliendi saepenumero ita modum transiit, ut ab insolentiae reprehensione non vacuum sit. Nam ad verborum delectum quod attinet poëtae Alexandrini inusitatis atque obsoletis vocabulis vocabularumque formis vehementer delectabantur, quibus et assidua antiquissimorum librorum lectione acquisitam doctrinae copiam ostentarent et orationem antiquitatis quadam specie perspergerent. Praeterea non nunquam vulgarium verborum significationem immutaverunt novamque iis et prorsus inauditam vim tribuerunt ita, ut his et aliis ineptiis perspicuitas orationis nonnihil obscuraretur.

Quanquam non in omnes nullo excepto poëtas Alexandrinos invidia illa cadit, quod non praestiterint nisi docta quadam atque cum molestia diligenti elegantia et insolentis dictionis artificio. Nam quamvis omnibus fere poëtis eius aetatis sententiarum vis et affectuum veritas atque gravitas deesset, in genere tamen tenui atque subtili non nulli insigniorem aliquam laudem consecuti sunt. Atqne omnium suae aetatis poëtarum praestantissimus erat Theocritus, Siculus ille poëta bucolicus.

Quodsi quid ad Alexandrinorum poëtarum artem accuratius intellegendam ex Theocriti carminibus peti possit exponere instituimus, in carminibus duodeviginti prioribus percensendis acquiescamus, praesertim cum omnia reliqua ab ingenio eius auctoris, qui priora illa condiderit, abhorrere videantur neque prius pro se quaeque certa quadam ratione ut Theocritea diiudicari possint, quam singula quaeque iusta et perpetua certisque artis legibus nixa recensione ad Theocriti genus dicendi et ad veram illius poëtae imaginem adumbrandam perpensa sunt.

Atque ut inde oratio mea proficiscatur, unde potissimum Theocriti carmina naturam suam atque indolem duxerunt, id primum videamus, si placet, quaenam et qualia fuerint argumenta, quae poëta sectatus est.

Iam breviter eam illius aetatis condicionem adumbravimus, qua poëtae, ut plus minusve tenuia et angusto quasi orbe circumscripta argumenta tractarent, commoti sint. Quid igitur? quod Theocritus, cum intellexisset, quanta essent amoenitate ac gratia rudia illa quidem atque inculta carmina pastorum, quantamque, si artificiosius expolirentur, venustatem ac suavitatem habitura essent, carminis bucolici genus excolere suscepit, num miramur? Immo non satis admirari possumus ingenium illius viri, qui bonus existimator suae aetatis illud poësis genus arte politum in literas introduxit, quod antiquissimam indolem referens aptissimum erat ad hominum animos delectandos ac deleniendos. Etenim ea maxime aetate, cum ingenia hominum nimis exculta atque expolita sunt, ita ut fastidio quodam ac satietate ab altius elatis studiis abalienentur, animos molli quodam desiderio amissae simplicitatis affectos studio atque amore ad naturalem cultum integri cuiusdam populi sese advertere, quo sua ipsorum vis vigorque reficiatur, quis est, qui nesciat? Nimirum hoc ingeniosi animi studium in literis bucolicam poësin tulit, sicut nostro quoque saeculo rusticanas illas fabellas, quae vulgaris sermonis proprietates facete reddunt. Et quis negaverit, horum poësis generum principem locum Theocriti idyllium pastorale obtinere, quod ingenium vere poëticum spirans et quasi flos poësis Alexandrinorum accuratam naturae et vitae popularis imaginem reddit et imprimis pastorum sinceram vitam moresque ita ad naturae veritatem depingit, ut quaecunque homines illi rustici, quos poëta inter sese confabulantes facit, et loquuntur et sentiunt et agunt, animi nostri iucunda fraude in agris silvisque, inter greges et armenta, inter bubulcos et opiliones et caprarios delusi teneantur. Ne id quidem mirandum est, quod Theocritus vitae rusticae bona ac delicias tam integra ratione atque arte adumbravit. Nam quanquam de inventione atque origine ipsius

bucolicae poësis nihil omnino certi traditum est, hoc tamen videtur constare, iam antiquissimis temporibus in Sicilia, Theocriti patria, quae insula bonis pascuis abundabat et cuius incolae imprimis res pecuarias exercebant, cantum pastoralem viguisse. Quamvis vero primordia bucolicorum carminum ad ipsam pastoriciam vitam referenda sint, tamen Theocritus denique primus bucolicae poësis genus excoluit. Atque in ipsis idylliis bucolicis, in quibus fabulas illas, quae in pastorum ore fictae ac divulgatae erant, inclusas et artificiose conformatas invenimus, ea dicendi ratio, qua poëta rusticos illos homines colloquentes facit, ab ea distinguenda est, qua cantu pastorali inter sese certantes describit. Etenim exordium carminum plerumque inde ducitur, quod pastores, qui in montanis pascuis cum gregibus suis inter se obvii fiunt, verba aut blanda aut pungentia ac deridentia commutant, et alter alterum exhortatur, ut cantum bucolicum recitet aut ut ambo amoebaeis carminibus inter se certent. Qui tum musico certamine vicit, victi pignus in medio propositum aufert et ad gregem suum quisque curandum revertitur.

Carmina mimica ab illis bucolicis eo differunt, quod maiore quadam vi scaenica panguntur neque solum in pastoricia vita, sed in omnibus vitae popularis condicionibus versantur. Sed quoniam varia dicendi genera in variis idylliis ita inter se mixta sunt, ut in bucolicis carminibus et mimica et melica et epica vice versa inclusa sint, haec missa faciam et ad singula me convertam.

Atque primum percenseamus quidem, si placet, poëticas causas et notiones, quibus vestitus orationis Theocriteae continetur. Et vero omnium earum principem locum videntur obtinere res quae finguntur amatoriae, quod quidem argumentum poëtae Alexandrini denique ad nugas suas poëticas summo studio revocaverunt.

Tamen Theocriti carmina paene sola id quod illius poësis amatoriae maxime proprium erat ad nostram memoriam conservarunt et iam ob eam causam ad Alexandrinorum poëtarum artem accuratius intellegendam non nihil momenti habent. Illud autem eius generis argumentum, quod in Theocriti idylliis quam maxime tractatum

invenimus, iu infelicis amoris doloribus describendis versatur. Cf. *σχέτλιοι οἱ φιλέοντες* XIII 66. Nimirum poëtae Alexandrini ad animi cruciatus verbis exprimendos cupide sese advertebant omnesque res plus minusve insolitas pertexere adamabant. Accedit, quod pastores quoque Siculi illam materiam in fictis fabulis adumbrare variisque lineis designare studuerant, sicut de Daphnidis, cuius dolores proverbii loco erant cf. V 20, et Menalcae et Polyphemi fabulis intellegimus. Cf. id. I 66 142. VII 73—77. VIII. VI. XI. Atque huc etiam Adonidis fabula referenda est, quae ipsa infelicis amoris cruciatus persequitur et ex qua Theocritus quinti decimi idyllii argumentum petivit, cum Adonidis sacra Alexandriae splendidissime acta describeret. Deinde vero ad ipsam poësis amatoriae speciem carmen secundum effictum est, quo puella quaedam, quae ab amatore perfide se neglectam videt, animo perturbato sacra magica peragit eorumque patronae Lunae acerbi amoris sui dolores enarrat. Cuius mimici carminis argumento etiam illud idyllii quarti decimi respondet, quod idyllium iisdem fere signis mimicae artis notatum puellae cuiusdam in amatorem perfidiam et discidii causas et dolores depingit, quibus ille laborans medicinam ab amico suo quaerit. Cf. XIV 8. 50—52.

Nec non rustici homines infelici amore vexati describuntur cf. XIII 57. Immo cum poëta eos cupiditatibus affectos adumbraret, pastoralis quoque carminis poëticas causas et novitate et suavitate variavit. Ab amoris quidem in dulcem puerum affectu atque cruciatu argumenta bucolicorum carminum petita sunt, quibus in septimo idyllio duo rustici homines inter se certant. Aliis locis alter alterum pungit, qui amore perditus animi tristitiam vultu ac toto corporis habitu fatetur cf. X 1, aut alter cum altero de amoris sui cruciatu et desiderio durae puellae vel pueri conqueritur cf. X 7. Quamobrem sodalis sodalem amantem exhortatur, ut cantu puellam collaudans atque ornans tristitiam tollat et ab amoris tormentis se vindicet. Cf. X 22. XIV 57. Neque semel tantum poëta hanc causam, qua vis cantus praedicatur, persecutus est. Videlicet carmen undecimum,

quod Theocritus ad Niciam amicum suum, qui tunc Cupidinis telo vulneratus videtur fuisse, misit, unicum amoris remedium Musas dare docet et Polyphemi exemplo comprobat, qui, cum Galateam cantaret, doloris sui levationem habuerit.

Atque etiam in eandem, quam Polyphemi ille cantus prae se fert rationem idyllium tertium compositum est, quo caprarius quidam amore cruciatus *παρακλαυσίθυρον* condit. Sed quamvis Amaryllidis amatae benevolentiam blanditiis, precibus, promissis, minis colligere studeat, tamen puella dura remanet et ardens amator animum suum et crudelem Amorem exsecratus finem cantus facit.

Illud vero tritissimum est, quod perdite amantes Amorem deum accusant atque exsecrantur nec decoris quidem epithetis ornant. Cf. *Ἔρως ἀνιηρέ* II 55. *Ἔρωτος ὑπ' ἀργαλέοιο* I 98. *βαρὺς θεός· ἦ ῥα λεαίνας μαζὸν ἐθήλαζε, δρυμῷ τέ νιν ἔτραφε μάτηρ,*
ὅς με κατασμύχων καὶ ἐς ὄστιον ἄχρις ἰάπτει III 15. *τυφλὸς δ' οὐκ αὐτὸς ὁ Πλοῦτος, ἀλλὰ καὶ ὠφρόντιστος Ἔρως* X 20.

Similibus verbis etiam amoris affectus tanquam graves ac mordentes illustrantur, id quod colligere liceat, ubi primum de imaginibus orationis Theocriteae agimus. Neque omnes omnino homines agrestes poëta perdite amantes adumbravit, verum etiam e felicis amoris dulcedine poëticae causae ei affluunt. Cf. VI 18 *ἦ γὰρ ἔρωτι πολλάκις, ὦ Πολύφαμε, τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται.*

Duo quidem pastores in quinto idyllio alternis versibus inter se certantes inducuntur, quorum unus amoris foedus cum puella, amica sua, factum praedicat, alter venustum puerum, cuius amoribus fruitur, laudibus effert et pro suarum quisque deliciarum principatu propugnat. Deinde puerorum amor duodecimo idyllio celebratur et maiore quidem sinceritate ac sublimitate tractatur, quam ut mere venereus putandus sit, qualem invenias id. V et VII, id quod ceteris omissis demonstratur vocabulis illis *εἴσπνηλος* et *ἀΐτης*. Atque hoc iudicium etiam in consuetudinem videtur cadere, qua Hercules cum Hyla in tertio decimo idyllio coniunctus fingitur, id quod colligas e versu 8 ad 9: 14 ad 15. Quod reliquum est sic velim

tibi persuadeas, etiam in hoc epico carmine rerum descriptarum momenta causis amatoriis quasi moveri. Denique ad hoc poësis amatoriae genus addideris idyllium duodevicesimum. Numquid enim epithalamio illo maiore suavitate atque cum lepore mixta simplicitate conditum carmen cogitari potest, quod primariae Spartae virgines in nuptiis Menelai et Helenae ante cubiculum nuptiale cantantes finguntur? Cuius carminis summae notiones hae fere sunt. Exordio octo versibus facto ipsum carmen nuptiale inde incipitur, quod virgines fescenninis quibusdam dicteriis sponsum alloquuntur eique gratulantur, cui contigerit, ut pulcherrimam puellam in matrimonium duceret, (9—21) quo via munitur ad Helenae virginis virtutes laudibus praedicandas (22—37). Tum bonam illius memoriam nunquam ex animis suis discessuram spondentes (38—48) virgines sponsam et sponsum optimis ominibus prosequuntur et salvere iubent (49—59).

Atque sicut his locis amoris dulcedo et consortio diserta oratione celebratur, ita etiam deus amoris non nullis blandis verbis ornatur cf. II 118 *ναὶ τὸν γλυκὺν — Ἔρωτα.* Illud autem hoc loco monendum est, poëtas Alexandrinos propriam Amoris vim ac notionem quodam modo flexisse atque dissolvisse, cum genios Cupidinis fingerent et ad venustam infantium effigiem conformarent, quibus potissimum fingendi artes egebant. Atque etiam Theocritus hunc usum amplexus *Ἐρώτων* imaginem exposuit. Cf. *μαλακοὺς Ἔρωτας* XVII 51. *ὁμαλοὶ Ἔρωτες* XII 10. *Ἔρωτες ἐπέπταρον* VII 96. *οἱ δέ τε κῶροι ὑπερπωτῶνται Ἔρωτες* XV 120. *ὦ μάλοισιν Ἔρωτες ἐρευθομένοισιν ὁμοῖοι* VII 117. Praeterea id teneas malum et imprimis malum Punicum, sicut in monumentis antiquis Cupidinis dis deabusque attributum invenitur, ita imaginem esse progerminantis amoris. Cf. id. X 34 et XV 112, quem quidem versum non improbabiliter sic emendasse videor: *πὰρ μέν οἱ ῥοιαὶ καὶ ὅσα δρυὸς ἄκρα φέρονται.* [1])

---

[1]) Libri hunc versum ita exhibent:

πὰρ μέν οἱ ὥρια κεῖται, ὅσα δρυὸς ἄκρα φέρονται.

Inde igitur et illam comparationem (VII 117) intellegas et illud, quod Theocritus amatores malis sese aut donantes aut petentes describit. Cf. II 120. III 10, 41. V 88. XI 10. VI 7.

Sed haec hactenus. Transeo ad poëticas causas, quae molestius quam res illae amatoriae monstris quibusdam opinionum involutae apparent. Apud Theocritum haec quidem magis in singularum sententiarum conformatione, quam in argumentandi perpetuitate versantur, ac tamen poëtarum Alexandrinorum putidam et portentoso nitore quasi fucatam elocutionem non nihil demonstrant. Quid loquar de natura secundi carminis, quod miraculis redundat? de pharmaceutria illa, quae divina humanis miscet et magicis artibus atque incantamentis amantis animum evocat? Namque ad eam, quam illud carmen redolet ingenii impotentiam, quanquam omnes illi loci referendi sunt, qui quid nimium et effusius prae se ferunt, tamen eos quaesitae artis et oneratos magis quam ornatos esse neminem fugiet. Quid enim, quod in quinto idyllio pastores cantu inter se certantes haec opinionum portenta fingunt?

Ἱμέρα ἀνθ' ὕδατος ῥείτω γάλα, καὶ τὺ δὲ Κρᾶθι
οἴνῳ πορφύροις, τὰ δέ τοι σία καρπὸν ἐνείκαι.
Ῥείτω χὼ Σύβαρις ἀμὶν μέλι, καὶ τὸ ποτ' ὄρθρον
ἁ παῖς ἀνθ' ὕδατος τᾷ κάλπιδι κηρία βάψαι. 124—127.

In eandem rationem, sed tamen non sine ullo artificio neque omnino insolenter comparatum illud videtur esse, quod poëta in ingenti Daphnidis dolore atque morte praeter naturam mirificas naturae rerum vicissitudines ac commutationes ortas esse expressit, cum moribundum vota illa facientem describeret, quae extant I 132 ad 136. Tritum scilicet apud omnes populos illud fictarum fabularum argumentum est, quo demonstratur, funestum eius viri exitum, qui cum virtutis laude opprimatur, e naturae rerum portentosis

---

Sed eum ob metricum quoddam vitium ferri non posse, iam dudum viri docti viderunt et alius aliam emendationem periclitatus est, quarum quidem nulla lectionis veritatem expeditam putavi.

conversionibus cognosci. Nihilo tamen setius poëtae Alexandrini proprium est, quod illam insolitam causam in suum usum convertit atque persecutus est. Omnino enim Theocritus res maxime inter se repugnantes componere cf. V 92—95. 136. 23. 26—27. III 27. 54 et quae nullo modo fieri possunt illustrare solet cf. IV 11. 15. 62. VIII 54.

Deinceps ad studium, quo ille ut verus suae aetatis poëta in opinionum monstris defixus tenebatur, etiam ille locus referendus est, qui fabulam de Comata pastore fictam respicit eiusque miram a mortis periculo, quod ei crudelis dominus molitus erat, vindicationem exhibet. VII 78—82. Atque sicut apes Comatam miro quodam modo tuentur ac nutriunt, ita omnino ferae bestiae quidquid adversi personis adumbratis accidit sollicitudinum sociae finguntur, cf. I 71. IV 12 atque etiam arboribus misericordia ac luctus tribuitur cf. VII 74. Sed ne illud quidem prorsus mirandum est, quoniam bucolica Musa in agris partes suas agit agrestesque homines cum naturae rebus usu coniunctos adumbrat, in primis autem causis humani animi affectus atque tormenta corporisqne cruciatus exprimuntur. Ac sicut illa vesaniae descriptionem tanquam finem spectant, ita hi dolores mortis. Quanquam poëta non ipsas formidines oculis subiicit, sed extremis lineis eas designare satis habuit, unde cognoscas, Theocritum ceteris poëtis Alexandrinis saniore mediocritate usum esse neque scribendi artificium Alexandrinorum proprium praeter modum exaggerasse. Eum tamen intra illorum sensa et cogitationes sese continere, singularum sententiarum conformatione comprobatur.

Atque locos, qui ad vesaniae adumbrationem pertinent, hos fere conferas: II 82. III 41. 46. XI 13. XIV 8 et maledictionis formulam illam addas, quae nimium quid spirat. V 15 *ἢ κατὰ τήνας*

τᾶς πέτρας ὤνθρωπε μανεὶς εἰς Κρᾶθιν ἁλοίμαν.

Eodem modo etiam illud comparatum est, quod ad corporis cruciatus spectat V 150 *ἀλλὰ γενοίμαν,* —

αἰ μή τυ φλάσσαιμι, Μελάνθιος ἀντὶ Κομάτα.

Nimirum Melanthius Homero auctore naribus, auribus aliis corporis membris mutilatus perfidia dignam poenam suscepit. Semel modo acerba quadam lascivia atque contentione corporis tormenta copiosius describuntur VII 109—114.

Quo cum loco conferas V 41. 116—119, quibus similiter crudelis voluptas designatur, qua alius alium verberibus se castigasse eiusque eiulatu delectatum esse gloriatur.

Denique videas illud, quo atrocis mortis imago adumbratur. Neque mirum est, quod poëta agrestes suos homines nullam acerbiorem mortem fingentes facit, quam vivum a lupis dilacerari. Huc enim spectat proverbium illud V 38 *θρέψαι κα λυκιδεῖς, θρέψαι κυνάς, ὥς ἔ φάγωντι,* et quod perdite amans ille caprarius, qui in tertio idyllio *παρακλαυσίθυρον* frustra condit, his versibus animum despondet III 52—54:

Ἀλγέω τὰν κεφαλάν, τὶν δ' οὐ μέλει. οὐκέτ' ἀείδω,
κεισεῦμαι δὲ πεσών, καὶ τοὶ λύκοι ὧδέ μ' ἔδονται.
ὡς μέλι τοι γλυκὺ τοῦτο κατὰ βρόχθοιο γένοιτο.

Quibus absolutis reliquas quae quodam modo poëtae Alexandrini propriae sunt poëticas causas et notiones rimari liceat. Atque ad eas illud potissimum argumentum pertinet, quo poëta aureae aetatis, qua plurima commoda et prosperitates ex ipsorum deorum gratia ad vitam humanam redundaverint, imaginem adumbrat atque consecrat et secundam illam rerum fortunam ruinae posterioris quam ipse vidit memoriae opponit. Locus autem Theocriteus, qui huc spectat, exhibetur idyllii XVI versibus 88—103. Praeterea unam aliquam sententiam adsumas, quae XII 16 invenitur. Sed ne in re apertissima longi simus, ad illud orationis Theocriteae argumentum progredimur, quo poëta privatas suas necessitudines atque utilitates percurrit. Namque supra iam vidimus, poëtas Alexandrinos, quoniam vulgus arte sua atque ingenii sollertia devincire non poterant, in aula cuiuslibet tyranni versati adsensionem principis, cum eius virtutes cantu et laudibus efferrent, captare eiusque studiis florere contendisse. Et vero Theocritum principum gratiam *ἐγκωμίοις* sibi

conciliare vehementer studuisse, carmina XVI et XVII locupletes testes sunt, quorum hoc in Ptolemaei honorem conscriptum est, posteaquam illo se poëta Hieronis II, Syracusarum regis, gratiae ac liberalitati frustra commendavit: Cf. XVI 68: *δίζημαι δ', ὅτινι θνατῶν κεχαρισμένος ἔνθω.*

Quaerentibus nobis quodnam potissimum argumentum poëta in hanc rem converterit, videmus illud fuisse, quod Alexandrinorum poëtarum voces multis et variis sermonibus repetebant et quod in ea causa versatur, nullas opes ac divitias, nullas fortunas, nulla huius vitae bona sempiternam memoriam parare posse, immo etiam omnes illos veterum viros, qui cum virtutis et ingentis animi laude oppressi sint, inglorios et ignobiles oblivionem atque obscuritatem obruituram fuisse, nisi poëtae, Musarum interpretes, eorum nomina atque egregia facinora ad posteritatis cum laude memoriam et ad immortalitatis gloriam consecravissent.

Ἐκ Μοισᾶν ἀγαθὸν κλέος ἔρχεται ἀνθρώποισι XVI 58.

Hoc argumento nixus Theocritus Hieroni se offert ut praeconem eius bellicarum laudum:

Μουσάων δὲ μάλιστα τίειν ἱεροὺς ὑποφῆτας,
ὄφρα καί εἰν Ἀΐδαο κεκρυμμένος ἐσθλὸς ἀκούσῃς,
μηδ' ἀκλεὴς μύρηαι ἐπὶ ψυχροῦ Ἀχέροντος XVI 29—31.

Ob eam causam Ptolemaei nomen egregiis versibus ornat et ea, quae gessit, praedicat, quippe qui poëtas amplissimis praemiis et honoribus decoret.

Ἥρωες, τοὶ πρόσθεν ἀφ' ἡμιθέων ἐγένοντο,
ῥέξαντες καλὰ ἔργα σοφῶν ἐκύρησαν ἀοιδῶν·
αὐτὰρ ἐγὼ Πτολεμαῖον ἐπιστάμενος καλὰ εἰπεῖν
ὑμνήσαιμ'· ὕμνοι δὲ καὶ ἀθανάτων γέρας αὐτῶν. XVII 5—8.

Quid ita? quoniam profligata illa aetate vitae brevitas et fragilitas nullam aliam consolationem habebat, nisi spem immortalis apud posteros memoriae, atque ideo omnium animorum intima studia et consilia ad gloriam colligendam se componebant, quid mirum, quod poëtarum voces hunc omnium communem sensum exprimebant

et huic studio inserviebant, cum a Musis solis gloriae commemorationem cum omni posteritate adaequari variis modis demonstrarent? Ita scilicet aliis quoque locis in Theocriti idylliis argumentum illud apparet atque resonat veluti XII 11 et 21.

Ad encomiorum denique genus dicendi, quo poëta principis gratiam ad suas rationes suumque honorem revocare studuit, idyllium XIV referendum est, cuius epilogus Ptolemaei laudes magno opere praedicat. (59—63.) Verum haec missa facio; illud quaesiveris, quemadmodum poëta fictas fabulas explicaverit et ad orationis suae ornatum converterit.

Ac si antiquior ars poëtica rerum humanarum fines ad divinarum rerum altitudinem quodam modo proferebat generisque humani dignitatem ad deorum praestantiam effingebat, poëtas Alexandrinos fabulas de dis deabusque fictas ad angustum cotidianae vitae humanae gyrum atque humilitatem conformasse supra iam vidimus. Qua ratione quoniam sua sponte fieri non potuit, quin fabularum integumenta facile et apte convenienterque componerentur, ad doctrinam potius ostentandam, quam ad res augendas atque illustrandas ea accommodata esse eo facilius tibi persuadeas, quo maius studium et maiorem operam poëtas Alexandrinos in obscuras fabulas easdemque non necessarias contulisse intellegas. Verum tamen Theocriti idyllia, quippe quae ad ipsorum poëtarum literatorum aetatem nondum pertinerent, hoc praecipuum habent, quod ab omni fere copiosae doctrinae captatione abhorrere videantur. Quamvis enim etiam Theocritus fictarum fabularum tractatione divinum spiritum quasi alere et accendere atque ita orationi suae ornamenta quaedam afferre studuerit, tamen cum ingenii facultate illam materiam tam iusto temperamento ad concinnitatem miscuit, ut vixdum flosculos quosdam doctrinae agnoscas. Huc accedit, quod non remotos obrutosque fabularum fontes adiit, sed omnino tritas fabulas tractavit, quas quidem cum subtilitate et iudicio exponit, ita ut viam aditumque ad eas recludere per se liceat. Quae cum ita sint, nihil sane ad rem attinet singulas quas ille adumbravit fabulas enu-

merare et exquirere. Quamobrem ad aliud Theocriteae orationis ornamentum describendum progredimur.

Atque illud dicendi artificium intellego, quod eo continetur, ut ab ipso argumento aberrantes narrationes carminibus inserantur. Etenim cum poëtae Alexandrini non ad perampla, sed ad tenuia atque subtilia argumenta tractanda sese conferrent, non nihil causae fuisse dicemus, cur illi descriptionem rerum quamvis minutarum studio amplectebantur, quibus pertexendis atque exornandis imaginem numerosa quadam oratione inclusam adumbrarent. Praecipue vero artis opera oculis subicere consueverunt atque in hunc modum Theocriteorum carminum imprimis comparatum invenimus I 27—61, quibus versibus scyphus artificiosissime factus et a caprario quodam opilioni socio suo, ut cantum bucolicum conderet, praemii loco propositus tam copiose et explicate describitur, ut eo maior pars totius carminis efficiatur. Ad hoc descriptionum genus praeterea ille locus idyllii XV referendus est, quo carmen in Adonidis honorem compositum exhibetur, cuius sententiarum progressus et series haece est. In exordio cantilenae poëtria Venerem ut Adonidis amantem invocat eamque praedicat, quod Berenicen, Ptolemaei Philadelphi, qui tunc regnabat, matrem, in numerum dearum retulerit, cuius rei gratias ei actura Arsinoe, Berenices filia, Adonidis sacra, quacunque possit pompa et splendore, agat atque celebret, id quod duabas senorum versuum strophis continetur. Tum inde a versu centesimo duodecimo strophis et septem et quattuor versibus comprehensis describitur, quo apparatu et Adonidis et Veneris imagines ornatae sint. Eae enim collocatae sunt inter flores fructusque et pretiosa vasa unguentaria et propalam positae sub umbraculis amoenissimis in lecto, qui deinde a versu centesimo vicesimo tertio describitur.

Omnino autem Theocriti ingenium ad describendum atque imitandum erat sollers, praesertim cum et hominum et naturae diligenti animadversione praestaret neque quidquam antiquius haberet, quam ut accuratam vitae popularis et naturae imaginem oculis subiceret. Hinc igitur illud, quod omnia scaenica quadam vi et contentione,

quasi agatur res, exponuntur. Et profecto omnes in Theocriti carminibus quae exhibentur descriptiones hominum vitae morumque et rerum naturae eximiam quandam veritatem ac suavitatem spirare, quis est, qui neget? Veluti quid suavius, quid verius invenias quam descriptionem naturae ubertatis, quae in fine idyllii VII extat? Atque sicut poëta pro poëmatum suorum indole multas descriptiones e rerum natura expressit, (cf. imprimis I 1. 13. 132. V 32. 45. VII 7—9. 135—147. XI 45. XIII 40) ita nimirum etiam plurimas imagines ex ipsa natura et e vita rusticana deprompsit. Namque poëtae cum quam maximam sollertiam conferant ad singulas res sensibus humanis subiciendas et cupide quaeque circumspiciant, quibus narrationes suas illustrent atque amplificent, non levissimum adiumentum ex eo scribendi artificio trahunt, ut comparationibus utantur, quae quidem in eo versantur, ut disparium rerum similitudine ac communitate res, de qua sermo est, explicetur atque exornetur.

Quodsi quaerimus, qua ratione Theocritus haec orationis lumina temperaverit, illud primum videamus, si placet, quasnam ille imagines e naturae contemplatione petitas ad collationes suas contulerit. Atque has fere videas. Cantus pastoralis comparatur cum leni pinus susurru I 1—3, cum grato strepitu aquae de rupe desilientis I 7, cum cantu argutarum cicadarum I 148 V 110 atque lusciniae VIII 38. Iocosa autem imago mediocris poëtae est rana argutis cicadis coaxatione obstrepens VII 41 et vespa contra cicadam bombitans V 29. Imago, qua gestiens laetitia eius illustratur, qui musico certamine vicit, hinnuleus est, qui apud matrem lascive circumsilit VIII 87.

Etenim cum animalibus natura certa quaedam vis atque indoles insita sit, quam suam quodque retinet neque ab eo discedit, potissimum ab animalium natura imagines petuntur. Sic aquila aethera secans est imago celeris navis, quae sulcos per mare ducit XIII 24. Ut vorax leo hinnulei clamore procul audito e latibulo suo ad famem explendam prorumpit, ita Hercules desiderio vexatus amissi Hylae, pueri amatissimi, vestigia quaeritat XIII 61. A subus petitur imago

ferocis ac dissolutae hominum turbae XV 73 et a formicis imago ingentis hominum frequentiae XV 45 earumque acervis, quos construunt, divitiae illustrantur, quas quis nimis parcus congerit XVII 107. Messor, qui metendi laborem nimis aegre sustinet, ita ut a reliquis messoribus superetur, suavissime comparatur cum ove, quae pede aculeo vulnerato ceteras oves tardius sequitur X 4. Celeritas autem, qua puella verborum contumeliis violata convivas fugit, imagine hirundinis illustratur, quae simulac pullis ex ovis ortis pabulum dedit statim quam celerrime revolat ad novum pastum anquirendum XIV 39—42.

Alia ratione celeritas quaedam motus significatur idylii XIII versu 50. Hic enim describitur, quomodo Hylas, dum ex fonte quodam amoenissimo aquam haurit, a nymphis pueri pulchritudine captis detractus in aquam praecipitatur, id quod cum stella de coelo cadenti confertur XIII 50.

Iam plurimis imaginibus e rerum natura et e vita pastoricia depromptis res amatoriae illustrantur. Sacrum scilicet aequoris et ventorum silentium pulcherrime opponitur amoris furori, qui puellae animum perturbat II 38.

Nix dilabens est imago Daphnidis amore contabescentis VII 76. Puella quaedam amore et anxietate vexata nivis instar obtorpescit II 106 et tota eius facies gelido sudore pluviorum rorum instar manat II 107. Genarum color luteo thapso simillimus fit II 88, cum saevus ac crudelis Amor sicut hirudo corpus exsangue facit II 56.

Lunae splendidum lumen pectori amatoris tribuitur II 79 eiusque flava barba comparatur cum aurea hedera II 78 et ipse amans a puellis piro maturior habetur VII 120. Quo loco Lacon et Comatas pastores pro suorum quisque amorum principatu propugnant, eo hic puerum ab illo amatum cum sua ipsius puella non magis conferendum esse dicit, quam cum rosis anemonas, quam quidem imaginem amoebaeis versibus persecutus, ut pro sua quoque parte delicias suas defendat, Lacon respondet, ne glandes quidem ilicis cum pomis silvestribus comparari posse V 92—94.

Pedes amatae puellae comparantur cum talis eburneis eiusque vox cum trychno X 36. Suavissimis vero imaginibus Helenae venustas describitur XVIII 26—31, quos quidem versus Buechelerus, cuius sententiam de hoc loco ex ipsius ore audivi, cum academicis eius de Theocrito praelectionibus interessem, non improbabiliter ita emendasse mihi videtur:

πότνια νὺξ ἀντέλλοισα καλὸν διέφανε πρόσωπον
Ἀὼς ἢ κατὰ λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος·
ὧδε καὶ ἁ χρυσέα Ἑλένα διαφαίνετ' ἐν ἁμῖν.
πιείρᾳ δ' ὡς λᾳ̃ον ἀνέδραμε κόσμος ἀρούρᾳ
. . . .
ὧδε καὶ ἁ ῥοδόχρως Ἑλένα Λακεδαίμονι κόσμος.

Polyphemus ille perdite amans Galateae suae pulchritudinem cum candore lactis recens coacti comparat eamque molliorem ove, vitula lasciviorem collaudat, sed acerbiorem uva immatura vituperat XI 20—21, quoniam amata eum fugit ut agna canum lupum XI 24 et ut carduorum pappi, qui ardore solis aridi per auras huc et illuc volitant, eum, qui capere vult, subterfugiunt VI 15—17.

Vis amoris amatum desiderantis illustratur animalium impetu naturali, quo capella florentem cytisum, capellam lupus, grus aratrum sequitur X 30, capella ver concupiscit VII 97, agni ovis matris mammam expetunt XVIII 41.

Ad abundantiam quandam amoris significandam imago imagini additur XII 3—8, ubi describitur, amatorem pueri amati reditu adeo exhilaratum esse, quanto pulchrius sit ver hieme, pruno malum, quanto lanosior sit ovis sua ipsius agna, quanto superior virgo muliere ter nupta, quanto celerior caprea vitulo, quanto vocalior canora luscinia omnibus ceteris avibus. Amoris ardor cum igne Vulcani in insula Lipara flatu accenso confertur II 134, cum ardenti lauro II 24, cum cera igne liquefacta II 28 et illustratur imagine equorum hippomanis plantam insane expetentium II 49 et imagine turbinis vehementissime acti II 30. Dii amoris cum rubris malis comparantur VII 117 et cum lusciniarum pullis XV 121.

Aliae imagines poëtae ex humanae vitae condicione variisque hominum occupationibus affluunt et a rebus usu cotidiano tritis petitae sunt. A mercenario quidem, qui queritur, quod paupertatem a maioribus suis acceperit, imago ditissimi cuiusdam principis sumitur, qui mortuus apud inferos maeret, quod res a se gestae a nullo poëta ad immortalitatis memoriam consecratae sint XVI 32.

Voluptate viatoris, qui solis ardore defessus sub opaca fago requiem invenit, gaudium illustratur, quo amans quidam de amati reditu afficitur XII 9.

Imagine mellis quidquid est iucundi repraesentatur. Sic id. III 54 et VIII 83 dulcedo cantus Daphnidis cum mellis suavitate confertur.

A somno petitur imago mollis lanae V 51 et XV 125. Pario marmore dentium nitor repraesentatur VI 38.

Consuetudo, qua Hercules cum Hyla puero coniunctus est, illustratur sincera imagine patris filium suum edocentis XIII 8. Cum infante, quae matris gremium appetit, Cynisca comparatur lacrimas magno cum fletu effundens XIV 32. Puella amore cruciata et improviso amati adspectu perturbata ne tot quidem verba facere potest, quot per somnum infantes balbutiunt, totoque corpore pupae instar, qua infantes ludunt, obtorpescit II 108—110. Luctus pueri musico certamine victi maerore illustratur, quo puella recens nupta ob amissam virginitatem afficitur VIII 92. Animi securitas illustratur suavissima imagine amantium, qui nec patris nec matris admonitiones audiunt et faceta illa eorum, qui dentibus orbati nuces non curant *ἀμύλοιο παρόντος* IX 12 et 20.

Labor, qui frustra suscipitur, his versibus significatur XVI 60:

ἀλλὰ γὰρ ἶσος ὁ μόχθος ἐπ᾽ ἠόνι κύματ᾽ ἀμίθρειν,
ὅσσ᾽ ἄνεμος χέρσονδε κατὰ γλαυκᾶς ἁλὸς ὠθεῖ,
ἢ ὕδατι νίζειν θολερὰν διαειδέϊ πλίνθον
καὶ . . . .

Imagine lignatoris, qui, ubi primum in silvam venit, nescire solet, unde ligna caedere incipiat, poëta suam ipsius condicionem illustrat, in qua haeret Ptolemaei laudes praedicaturus XVII 10.

A cursus certamine imago petitur II 114.

Ei qui osculorum certamina dirimit os tribuitur lydio lapidi simile, quo argentarii aurum examinant XII 36.

Denique adnotandum est, imagines e fictis fabulis nullas depromptas esse nisi II 45 et 134.

Transitum facio ad translationes, quae in Theocriti carminibus insunt.

Metaphora autem, ut Graeci dicunt, brevior est similitudo eoque distat, quod illa comparatur rei, quam volumus exprimere, haec pro ipsa re dicitur. (Quint. VIII 6,9.)

Metaphora est igitur ea dicendi ratio, qua verbum a propria significatione in alienam transfertur propter similitudinem. Etenim translata verba et apertam ac dilucidam reddunt orationem et splendorem eius ac dignitatem augent.

Quattuor vero sunt genera translationum, quorum quidem primum efficitur, cum in rebus, quae sub sensum cadunt, aliud pro alio ponitur. Atque eius generis exempla haec apud Theocritum extant.

Sol exoriens illustratur trita imagine equorum, qui Auroram clari praenuntiam solis ex Oceano evehunt II 147—148:

— ἁνίκα πέρ τε ποτ' ὠρανὸν ἔτραχον ἵπποι,
'Αῶ τὰν ῥοδόπαχυν ἀπ' 'Ωκεανοῖο φέροισαι. Cf. XIII 11.

Praeterea etiam lunae currus et equi tribuuntur II 163 ἀλλὰ τὸ μὲν χαίροισα ποτ' 'Ωκεανὸν τρέπε πώλους neque minus stellis, quae Lunae comites dicuntur II 166.

Genae propter similitudinem cum rubris pomis μᾶλα dicuntur XIV 38.

Corporis pulchritudo ac vigor imagine floris exprimitur VII 121.

Alterum genus translationum efficitur, cum verba, quae hominum propria sunt, in alias res transferuntur. Atque ut a natura hominis et a corporis humani partibus, quae rebus inanimis tribuuntur, incipiam, etiam apud Theocritum pervulgata illa imago extat, qua arboribus comae assignantur cf. VI 16 ὡς ἀπ' ἀκάνθας — ταὶ

καπυραὶ χαῖται. Eadem ratione, ita ut mutatio quaedam efficiatur, etiam verbum *κομᾶν* de herbis, quae crescunt, dicitur I 133, IV 57, VII 9. Deinde caput rebus naturae tribuitur, quo extrema et summa rei pars significetur cf. VIII 87 *αἶγα — ἅτις ὑπὲρ κεφαλᾶς αἰεὶ τὸν ἀμολγέα πληροῖ.* VII 147 *ἑπτάενες δὲ πίθων ἀπελύετο κρατὸς ἄλειφαρ.* Aut imagine calcis extrema ora alicuius terrae illustratur cf. XVI 77 *Λιβύας ἄκρον σφυρόν.*

Deinde inanimatae res mente et agendi ratione ornantur. Sic fontes fluviique, arbores, pascua vallesque appellando pro personis quasi inducuntur I 132, V 124, VIII 33—39. Sic pinum poëta nuces iacientem fingit V 49, sic susurrantem I 1, id quod hominis dum taxat proprium est, quemadmodum de amantium blandis sermonibus legimus II 141 *ἐψιθυρίσδομες ἁδύ.*

Pinus modulate canit, *μελίσδεται* I 2 et lapis solea calcis offensus cantum sonat VII 26, quam dicendi rationem Eustathius ad Iliad. X 189 ad bucolicae poësis suavitatem ac simplicitatem refert. Arbor illa Helenae dedicata hac inscriptione animatur: „*Δωριστὶ σέβου μ'· Ἑλένας φυτὸν εἰμί*“ XVIII 48. Contra vix iam translatio agnoscenda est, cum verbum *βλέπειν* de rebus inanimis usurpatur ad illud significandum, quo quid vergit, sicut legimus de culmis desectis X 47 *ἐς Βορέην ἄνεμον τᾶς κόρθυος ἁ τομὰ ὔμμιν — ἢ Ζέφυρον βλεπέτω.* Mari ventisque silentium assignatur II 38 *ἠνίδε, σιγῇ μὲν πόντος, σιγῶντι δ' ἆηται·* Aetna mons fontium undas mittit XI 47 et ipsa a pastore quodam, qui eam quasi solum natale celebrat, mater invocatur IX 15 *Αἴτνα μᾶτερ ἐμά.*

Deinde satis frequens est ea translatio, quae a flendo deprompta est, veluti quercus Daphnidem deflentes finguntur VII 74. Praecipue vero humani animi affectus in animalia translatos invenimus. Etenim ferae bestiae et armentorum greges Daphnidis interitum lugent I 70—75. Gregi desiderium custodis tribuitur IV 12 *ταὶ δαμάλαι δ' αὐτὸν μυκώμεναι αἶδε ποθεῦντι.* Pecudes laetitia gestire pastor iubet, qui musico certamine vicit, ut cum semet ipso gaudium communicent V 141. 145.

Verbum μελεδαίνειν de rana dicitur, quae victum non curat neque requirit aquae haustum X 52.

Semel tantum id, quod animantes suum vindicant, in res, quae hominum manu, opera, consilio ad cotidianum usum compositae sunt, transfertur II 128 καὶ πελέκεις καὶ λαμπάδες ἦνθον ἐφ' ὑμέας.

Iam vero ad eas huius generis translationes progredimur, quae ita comparatae sunt, ut planius ceteris ad fictarum fabularum rationem depictae esse atque etiam ex ipsa earum indole redundasse videantur.

Etenim cum in pharmaceutriis luna invocatur, quasi humana mente et forma praedita sit, (cf. II 69 et 165 χαῖρε Σελαναία λιπαρόχροε) poëta nimirum fabularum rationem secutus est eam, qua luna dea fingitur, id quod etiam inde colligi potest, quod luna in eodem carmine ipsa appellatur dea cf. II 11 τὶν γὰρ ποταείσομαι, ἄσυχε δαῖμον. Hinc etiam illa imago apud omnes poëtas et in omnium ore maxime usitata, qua lunae vultus tribuitur, nec non apud Theocritum hanc translationem invenimus cf. XVIII 26 πότνια νὺξ ἀντέλλοισα καλὸν διέφανε πρόσωπον. Atque ut luna, ita etiam aurora ad speciem deae effingitur XIII 11 ὁπόχ' ἁ λεύκιππος ἀνατρέχοι ἐς Διὸς Ἄως. Praeterea cum Arethusa fons fluviique appellando repraesentantur veluti I 117—118 χαῖρ' Ἀρέθοισα, καὶ ποταμοί, τοὶ χεῖτε καλὸν κατὰ Δωρίδος ὕδωρ, non nihil causae esse dicemus, quod Arethusam nympham fluminumque deos poëtae animo obversatos esse putamus. Eodem modo praeterea ille locus comparatus est, quo Notus aequora agitans fingitur VII 53 Νότος ὑγρὰ διώκῃ κύματα et cum Orionis sideris occasus hac imagine exprimitur: χ' Ὠρίων ὅτ' ἐπ' ὠκεανῷ πόδας ἴσχει VII 54.

Eiusdem opinionis quasi necessitate quadam devinctum est etiam illud, quod caelo haec agitatio tribuitur XVI 71 οὔπω μῆνας ἄγων ἔκαμ' οὐρανὸς οὐδ' ἐνιαυτός. Sed cum tempori cursus quidam tribuitur, veluti tempus fugiens appellatur II 92 ὁ δὲ χρόνος ἄνετο φεύγων hominique senectute obrepens XIV 69—70 ἐς γένυν ἕρπει λευκαίνων ὁ χρόνος, haec quidem imago usu iam attenuata esse videatur.

Tum divinam quandam speciem *φάμα* prae se fert, cum legimus VII 93 *τά που καὶ Ζηνὸς ἐπὶ θρόνον ἄγαγε φάμα.* Neque alia de causa agendi ratio somno assignatur, nisi quod in fictis fabulis somnus deus depingitur. Cf. XI 22. 23.

Πλοῦτος denique caecus appellari potest, quoniam, sicut apud Aristophanem, dei forma exprimitur. Cf. X 19 *τυφλὸς δ' οὐκ αὐτὸς ὁ Πλοῦτος,* atque huc etiam referendum est XVII 75 *πολὺς δὲ οἱ ὄλβος ὀπαδεῖ.*

Poëta vero sua ipsius carmina ad *Χαρίτων* dearum speciem effingit XVI 6—12 et hanc imaginem tam copiose depingit, ut illud genus translationum agnoscas, quod Graeci *ἀλληγορίαν* dicunt.

Atque ad hoc elocutionis genus etiam ille locus referendus est, quo imago de Co insula ficta explicate continuatur XVII 58. 64—71 Hic enim Cos insula, Ptolemaei patria, pro persona inducitur gaudioque exultans fingitur, quod ille proxime natus est, et precans, ut ille semet ipsam tantis afficiat honoribus, quantis Delum Apollo.

Quibus absolutis ad tertium translationum genus venio, quod in eo versatur, ut verba, quae proprie dicuntur de rebus, quae sensibus percipiuntur, in res transferantur, quae corpore carent, ita ut sensibus non subiectae sint aut minus sub sensus cadant. Atque imprimis huc spectat, quod amoris affectus atque impetus imagine ardentis ignis illustratur. Cf. II 40 *ἀλλ' ἐπὶ τήνῳ πᾶσα καταίθομαι.* VII 56 *θερμὸς γὰρ ἔρως αὐτῶ με καταίθει.* VII 102 *ὑπ' ὄστιον αἴθετ' ἔρωτι.* II 135 *Ἔρως — σέλας φλογερώτερον αἴθει.* III 17 (*Ἔρως*) *ὅς με κατασμύχων καὶ ἐς ὄστιον ἄχρις ἰάπτει.* II 26 *Δέλφις ἐνὶ φλογὶ σάρκ' ἀμαθύνοι.* II 131—133 *ἐκ πυρὸς εἷλεν — αὔτως ἡμίφλεκτον.* VII 55 *ὀπτευμένον ἐξ Ἀφροδίτας* XI 52 *καιόμενος δ' ὑπὸ τεῦς.* II 29 *ὥς τάκοιθ' ὑπ' ἔρωτος* (cf. I 66. 82. VI 27.) XVI 26 *τούτω τὸν κλύμενον κατετάκετο τῆνον ἔρωτα.* Cf. VII 76. XI 14. Praeterea amoris cruciatus horum singulorum verborum translatione illustratur. I 78 *κατατρύχει.* I 98 *Ἔρωτος ὑπ' ἀργαλέοιο λυγίχθης.* IV 59 *ἐκνίσθη.* II 82 *ἰάφθη.* I 93 *πικρὸν ἔρωτα* X 57 *λιμηρὸν ἔρωτα*

Amatae puellae animus parum facilis imagine duri saxi demonstratur III 18 *τὸ πᾶν λέπας* eademque imagine animus messoris, qui amatae desiderio nondum motus esse videatur X 7 *πέτρας ἀπόκομμ' ἀτεράμνω.*

Singularis videtur esse translatio vocabuli *ἄκρον*, cf. XII 31 *φιλήματος ἄκρα*, sed tamen non in suspicionem vocanda. Etenim iam Homerus *ἄκρον* vocabulum quasi substantivum usurpavit cf. Hom. Il. XIV 292 et translatum illud quidem apud Pindarum invenimus cf. Nem 1. 13 *πανδοξίας ἄκρον* apud alios.

Atque nostro loco translatum est servata aliqua significatione loci, audacius vero XV 142 *Ἄργεος ἄκρα Πελασγῶ*, id quod scholiasta *οἱ ἐξοχώτατοι* interpretatur. Cf. etiam XIV 61 *ἐς ἄκρον ἁδύς.*

Eandem fere notionis vim vocabulum *ἄωτος* praebet XIII 27 *θεῖος ἄωτος ἡρώων*, quod quidem eadem ratione comparatum est, ut primaria eius notione significetur *ἄκρον* lanae cf. Od. I 443 *κεκαλυμμένος οἰὸς ἀώτῳ*, unde transfertur in delectam manum heroum, quorum ut robur ac flos demonstretur.

Postremo translationem quandam in hunc modum comparatam ac tamen plus minus iam attenuatam intellegere licet legentibus nobis subtiles notiones ita immutatas sensibusque subiectas XVII 62 *κὰδ δ' ἄρα πάντων — νωδυνίην κατέχευε μελῶν* et XVII 24 *ὅττι σφέων Κρονίδης μελέων ἐξείλετο γῆρας* et eo loco, quo Panis dei asperi mores describuntur I 18 *καὶ οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.*

Quarti translationum generis, quod eo efficitur, ut res, quae corpore carent, inter sese commutentur, quoniam exempla apud Theocritum nulla inveni, transitum facio ad eos locos evolvendos, quibus poëta, ut erat animo divinitus permoto, orationem illustravit atque pertexuit, cum rem simplicem figurata quadam elocutione circumscriberet.

Etenim cum tempora diurna, quibus quid agitur, terminat, his imaginibus certe ad bucolicae dictionis simplicitatem ac suavitatem effictis utitur: XVIII 56 *ἐπεί κα πρᾶτος ἀοιδός — ἐξ εὐνᾶς κελαδήσῃ ἀνασχὼν εὔτριχα δειράν* cf. VII 123 *ὁ δ' ὄρθριος — ἀλέκτωρ.*

X 50 *ἄρχεσθ' ἀμώοντας ἐγειρομένω κορυδαλλῶ, καὶ λήγειν εὕδοντος.*

XVI 95 *ἀνίκα τέττιξ —*
ποιμένας ἐνδίους πεφυλαγμένος ἔνδοθι δένδρων
ἀχεῖ ἐν ἀκρεμόνεσσιν.

VII 22 *ἀνίκα δὴ καὶ σαῦρος ἐν αἱμασιαῖσι καθεύδει,*
οὐδ' ἐπιτυμβίδιαι κορυδαλλίδες ἠλαίνοντι.

XIII 10—13 *οὔτ' εἰ μέσον ἆμαρ ὄροιτο,*
οὔθ' ὁπόχ' ἁ λεύκιππος ἀνατρέχοι ἐς Διὸς Ἀώς,
οὔθ' ὁπόκ' ὀρτάλιχοι μινυροὶ ποτὶ κοῖτον ὁρῷεν
σεισαμένας πτερὰ ματρὸς ἐπ' αἰθαλόεντι πετεύρῳ.

Vernum tempus iam exiens ita describitur:
ἆμος δ' ἀντέλλοντι Πελειάδες, ἐσχατιαὶ δὲ
ἄρνα νέον βόσκοντι, τετραμμένω εἴαρος ἤδη. XIII 25—26.

Homines, qui vivunt, hac elocutione notantur XVI 5 *ὁπόσοι γλαυκὸν ναίουσιν ὑπ' Ἠῶ* et poëtae, qui per caelestem quendam mentis instinctum vaticinantur deorum interpretes alitesque appellantur cf. XVI 29 *Μουσάων — ἱεροὺς ὑποφήτας.* XVII 115 *Μουσάων δ' ὑποφῆται.* VII 47 *Μοισᾶν ὄρνιχες.*

Amoris dei in homines crudelitas ea imagine describitur, qua ei leaena mater tribuitur III 15.

Variis lineis etiam imago mortis, qua animus a corpore discedit, adumbratur: I 139 *τά γε μὰν λίνα πάντα λελοίπῃ ἐκ Μοιρᾶν.* II 160 *τὰν Ἀΐδαο πύλαν — ἀραξεῖ.* XVI 40 *ἐπεὶ γλυκὺν ἐξεκένωσαν — θυμὸν ἐς εὐρεῖαν σχεδίαν στυγνοῖο γέροντος.*

Animi vero immortalitas, qua dii propitii homines ornant, (cf. XV 47) his imaginibus sensibus subicitur:

XVII 24 *ὅττι σφέων Κρονίδης μελέων ἐξείλετο γῆρας.*

XV 106—108 — *τὺ μὲν ἀθανάταν ἀπὸ θνατᾶς,*
ἐποίησας Βερενίκαν,
ἀμβροσίαν ἐς στῆθος ἀποστάξασα γυναικός.

Simili ratione etiam scyphi illius formositas, qui suaves odores spargit, repraesentatur I 150
Ὡρᾶν πεπλύσθαί νιν ἐπὶ κράναισι δοκησεῖς.

Pacis denique, qua quidem armorum usus non datur, imago nobilitata haec est: XVI 96 *ἀράχνια δ' εἰς ὅπλ' ἀράχναι λεπτὰ διαστήσαιντο, βοᾶς δ' ἔτι μηδ' ὄνομ' εἴη.*

Restat locus huic disputationi vel maxime necessarius de figura metonymiae, quippe quae potissimum Alexandrinorum poëtarum propria sit.

Incipiamus autem ab iis locis, quibus nomen universale in naturam quandam transfertur, quae est et consistit vel etiam mente ac ratione praedita est. Atque primum illos quidem locos evolvamus, quibus quae eius generis sunt in personas transferuntur. XV 83 *σοφόν τοι χρῆμ' ὤνθρωπος.* 145 *τὸ χρῆμα σοφώτερον ἡ θήλεια;* XVIII 4 *μέγα χρῆμα Λακαινᾶν* sc. Helena. XVIII 31 *Ἑλένα Λακεδαίμονι κόσμος.* XVII 34 *ὄφελος μέγα γειναμένοισι* sc. Berenice. VII 4 *εἴ τι περ ἐσθλόν* sc. praestantissimi viri. VII 44 *ἐκ Διὸς ἔρνος* sc. poëta. XVIII 24 *κόραι, θῆλυς νεολαία.* 51 *εὐτεκνίαν* sc. bonos liberos. I 44 *τὸ δὲ σθένος ἄξιον ἅβας* sc. iuvenis. Simili ratione praeterea hi loci comparati sunt: II 20 *καὶ τὶν ἐπίχαρμα τέτυγμαι;* XII 11 *ἐπεσσομένοις δὲ γενοίμεθα πᾶσιν ἀοιδή.*

Deinde satis frequens est usus ille, quo maledicta pro personis immutantur. Cf. XIV 31 *κακαὶ φρένες.* 36 *ἐμὸν κακόν.* XV 10 *φθονερὸν κακόν* 50 *κακὰ παίγνια* 18 *φθόρος ἀργυρίω.* Eadem ratione etiam rerum, quae sunt et consistunt, et animalium nomina in personas transferuntur. Cf. XV 50 *πάντες ἐρινοί.* 148 *χὠνὴρ ὄξος ἅπαν.* 88 *κωτίλλοισαι τρυγόνες.* V 25 *ὦ κίναδος σύ,* id quod vulpem Siculorum lingua significare scholiasta adnotat.

Atque sicut personae, ita etiam res naturae, quae ad personae speciem effictae sunt, hac metonymiae elocutione significantur. Cf. VIII 33 *θεῖον γένος* sc. *ποταμοί.* 37 *γλυκερὸν φυτὸν* sc. *βοτάναι,* neque minus res inanimatae et notiones universales, quae translationem non prae se ferunt. Cf. I 56 *αἰολίχον τι θέαμα τέρας* de scyphi formositate. XV 19 *κυνάδας* de mala lana et in eodem versu ad eandem rem significandam *γραιᾶν ἀποτίλματα πηρᾶν* et XV 20 *ἅπαν ῥύπον.*

XVIII 29 *κόσμος* de segete dicitur cf. VIII 79 *τᾷ δρυί ται βάλανοι κόσμος*. XIII 34 *μέγα στιβάδεσσιν ὄνειαρ* sc. *λειμών*. VII 17 *γέρων πέπλος*. VIII 57 *χειμὼν φοβερὸν κακόν*.

Tum etiam deorum effigies pro iis ponuntur, quibuscum aliquam necessitudinem habent. Cf. I 20 *Μοῖσα* pro carmine VII 55 *Ἀφροδίτα* pro amore. XIII 11 *Ζεὺς* pro caelo.

Etenim omnino metonymiae figura a metaphora eo differt, quod hac aliqua res pro simili, illa pro cognata ponitur, atque ita ponitur, ut aut pars pro toto aut causa efficiens pro effectu et vice versa locum habeat. Cf. XII 1 *ἠώς* pro die XVIII 26 *πότνια νύξ* pro luna IV 7 *ἔλαιον* pro palaestra II 66 *ἄντυξ* pro toto curru. III 48 *μαζός* pro pectore. VI 36 *κώρα* pro oculo, quippe qui amatae puellae imaginem creberrime reddat.

Postremo metonymia quaedam efficitur, cum verborum ac sententiarum conformationes logicorum rationi non omnino respondent, veluti si nomen adiectivum in nomen substantivum mutatur. Apud Theocritum autem hos fere locos colligas. I 1 *τὸ ψιθύρισμα καὶ ἁ πίτυς* I 68 *ποταμοῖο μέγαν ῥόον* 69 *Αἴτνας σκοπιάν*. *Ἄκιδος ἱερὸν ὕδωρ*. II 80 *γυμνασίοιο καλὸν πόνον*. VIII 49 *βάθος ὕλας*. XIV 29 *πόσιος — ἐν βάθει*.

Verum si placet ad reliqua pergamus et ad dicendi figuras nos convertamus, quibus poëta orationem ornavit.

Alias autem ut hoc loco praetermittam, primum aposiopesin, tritum apud Alex. poëtas artificium, videamus, qua quidem figura oratio incepta ab ipso oratore ita abrumpitur, ut vix appareat, quid ille dicturus fuerit. Huius autem figurae rhetoricae apud Theocritum hae sunt causae. Primum enim adhibetur, ubi quid reticetur, quod honesto ac decoro repugnat. Sic enim id. I 105 verbum quoddam obscaenum reticetur, quod scholiasta verbo *καταισχῦναι* supplet.

Alia causa, cur oratio interrumpitur, locum habet, cum id, quod minus idoneum videtur esse, omittitur et pro eo id, quod magis idoneum est, correctione quadam ponitur. Et ad hanc *ἐπανόρθωσιν*

id. VII 50 spectat, ubi caprarius quidam ut cantum conderet invitatus, ne a se ipso incipiat ad modestiorem et verecundiorem sermonem se revocat. Praeterea vocabulum ob rhetoricam rationem reticetur prae nimio animi motu, et in hunc modum Theocritus eos locos constituit, quibus pastores gregem increpantes facit. Cf. V 3. 102. IV 46.

Deinde vero Theocritus, ut erat poëta Alexandrinus, orationem nitidam atque elegantem reddit, cum orationis membra numeris modisque vincit et severam concinnitatem, qua syllabae syllabis exaequantur servat atque acquirit. Atque ad hoc studium versus subtiliter atque artificiose expoliendi imprimis etiam figura *παρονομασίας* spectat, quae quidem satis frequens in Theocriti carminibus nobis occurrit. Cf. II 45—46 *λάθας* — *λασθῆμεν*. 133—134 *ἡμίφλεκτον* — *φλογερώτερον*. III 19—20 *φιλάσω* — *φιλάμασιν*. 49—50 *ζαλωτὸς* — *ζαλῶ*. V 72—73 *Σιβύρτα* — *Συβαρίτα*. V 42 *καὶ ὁ τράγος αὐτὰς ἐτρύπη*. IV 42 *ἐλπίδες* — *ἀνέλπιστοι*. V 78 *εἶα λέγ' εἴ τι λέγεις*. 128 *καὶ αἴγιλον αἶγες ἔδοντι*. VII 97—98 *τόσσον ἐρᾷ Μυρτοῦς, ὅσον εἴαρος αἶγες ἐρᾶντι, ὥρατος*. 117 *ὦ μάλοισιν Ἔρωτες ἐρευθομένοισιν ὁμοῖοι*. XVII 19—21 *ἑδριάει* — *ἕδρα* — *ἵδρυται*. 126—127 *μηρία* — *μησί*. XVI 3—4

Μοῦσαι μὲν θεαὶ ἐντί, θεοὺς θεαὶ ἀείδοντι·
ἄμμες δὲ βροτοὶ οἵδε, βροτοὺς βροτοὶ ἀείδωμεν.

XVIII 13 *παῖδα δ' ἐᾶν σὺν παισὶ φιλοστόργῳ παρὰ ματρί παίσδειν.*

XVIII 21 *ἦ μέγα κέν τι τέκοιτ' εἰ ματέρι τίκτεθ' ὁμοῖον.*

Annominationem praeterea his locis invenies: XIII 73—74 *Ηρακλέην δ' ἥρωες* — *ἡρώησε*. XVI 2 *ὑμνεῖν ἀθανάτους, ὑμνεῖν ἀγαθῶν κλέα ἀνδρῶν*. 96 *ἀχεῖ ἐν ἀκρεμόνεσσιν ἀράχνια δ' εἰς ὅπλ' ἀράχναι*.

Atque etiam alliterationis artificio Theocritum usum esse hi loci luculenter comprobant: I 6 *καλὸν κρῆς*. 41 *κάμνοντι τὸ καρτερὸν ἀνδρὶ ἐοικώς*. VI 17 *καὶ φεύγει φιλέοντα καὶ οὐ φιλέοντα διώκει*. 19 *πολλάκις, ὦ Πολύφαμε, τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται*.

XIII 41 *χελιδόνιον χλωρόν*. VIII 48 *χὼ τὰς βῶς βόσκων, χαἰ βόες αὐότεραι*. IX 18 *ὧν μοι πρὸς κεφαλᾷ καὶ πρὸς ποσὶ κώεα κεῖται*. XIV 24 *ἔστι Λύκος, Λύκος ἐστί Λάβα γείτονος υἱός*. XIV 69—70 *πάντες γηραλέοι, καὶ ἐπισχερὼ ἐς γένυν ἕρπει — γόνυ*.

Ὁμοιοτέλευτα denique in fine duorum versuum extant XI 22—23 et in hemistichio priore duorum deinceps versuum VII 122—123 itemque ante caesuram bucolicam VIII 4—5.

Ad extremum veniamus nunc ad anaphoram, cuius figurae usus apud Theocritum latissime patet et intra certos versus fines continetur.

Normam enim huius dicendi artificii caesurae praebent, cum omissa anadiplosis figura, quae affectuum impetum exprimit, (cf. I 123 *ὦ Πὰν Πάν*. IV 26 *φεῦ φεῦ*. 54 *ναὶ ναί*. V 86 *φεῦ φεῦ*. VI 8 *τάλαν τάλαν*. VIII 69 *νέμεσθε νέμεσθε*. 73 *καλὸν καλὸν* XI 72 *ὦ Κύκλωψ Κύκλωψ*) geminata verba caesuris disiungantur atque ita disiungantur, ut verba repetita plerumque ipsum pedem incisum subsequantur.

Atque exempla, quibus vocabula primi pedis in quinto pede eiusdem versus post caesuram, quae bucolica vocatur, repetita inveniuntur, his locis extant:

I 15. 64. 66. 67. 131. II 1. 23. 118. 124. 140. 165. III 4. 18. IV 31. V 3. 14. 26. 39. 104. 122. 132. VI 5. 10. VII 24. 37. 66. 84. 143. VIII 3. 4. 41. 44. 45. 49. 76. IX 7. 8. 19. X 30. XI 32. XII 6. 17. XIV 19. 23. XV 93. XVI 1. 48. XVII 77.

Deinde verba, quae primum pedem huius versus tenent, in quinto pede alterius versus post caesuram bucolicam repetuntur I 1—2. 9—10. III 7—8. V 118—119. aut eadem verba quintum pedem huius et primum alterius obtinent: cf. I 105—106. 116—117. II 4—5. IV 45—46. V 41—42. 45—46. 61—62. VI 23—24. 43—44. VII 3—4. 28—29. 38—39. 41—42. 71—72. X 20—21. XI 30—31. 56—57. XIII 47—48. XVIII 14—15.

Deinde primum versus vocabulum post caesuram *πενθημιμερῆ* repetitur I 12. 78. II 98. V 38. VI 42. VII 97. VIII 11.

12. 17. 25. 53. 63. XI 45. 60. XV 6. 128. XVI 2. XVII 93. XVIII 49. 50.

tum post caesuram ἑφθημιμερῆ:

II 108. IX 14. XV 149. XVI 25. XVII 1. 76.

in sexto pede eiusdem versus:

II 21. XV 1.

in sexto pede sequentis versus:

XVII 3—4. 83—84.

denique in primo pede sequentis versus pluriumve deinceps versuum:

I 120—121. 146—147. III 21—22. VII 118—119. VII 57 et 59. 149 et 151. X 2—3. 8—10. XII 1—2. 3, 5, 6. XIII 1. 3. 11—12. 50—51. 58—59. XV 112—113. XVII 28, 30, 31. 82—83. 110—111. XVIII 43 et 45.

Nonnunquam etiam in secundo et quinto pede eiusdem versus eadem verba extant: Cf. IV 39. 43, aut in secundo pede et post caesuram ἑφθημ. cf. II 38.

Deinde vocabulum, quod caesuram πενθημ. proxime antecedit, repetitur vel post caesuram ἑφθημ: cf. IX 17. XV 5. XVIII 51. vel pest caesuram bucolicam: cf. XVII 23. vel in ultima eiusdem versus sede: I 144. VIII 20. XVII 42.

Verum etiam caesura κατὰ τρίτον τροχαῖον geminata verba disiungit. Primum scilicet versus vocabulum post hanc caesuram semel repetitum invenimus XVI 13. et vocabulum huic caesurae proxime antecedens post caesuram ἑφθημ: I 132. XIV 62. et in ultima versus sede repetitur XV 90.

Quodsi in his potissimum versus regionibus verborum geminatio consistit, iam intra hos fines non nullae permutationes admittuntur.

Vocabulum scilicet, quod quintum pedem versus tenet, etiam in quinto vel in sexto pede sequentis versus repetitur: cf. V 33 -34. 94 - 95. XIII 61—62. et quod post caesuram πενθημ. extat in primo pede sequentis versus XIII 43—44. et extremum huius versus vocabulum in altero versu post caesuram πενθημ. geminatur V 110—111. XV 103—104.

Praeterea vocabula cumulata in his versus sedibus includuntur, ita ut primum quintumque pedem eiusdem versus et primum sequentis obtineant, — cf. XVIII 10—11, aut ut primum versus vocabulum, qnod post caesuram πενθημ. vel ἑφθημ. repetitur, in primo pede sequentis versus iterum ponatur: cf. I 71—72. et 74—75 aut eadem vocabula in quinto pede huius et initio alterius versus et post caesuram πενθημ. exhibentur: cf. I 100—101, aut denique in eodem versu primus et secundus pes et ea versus sedes, quae caesuram πενθημ. excipit, ἀναφοράν prae se fert: cf. II 82. III 42.

Semel etiam cumulata vocabula intra hos fines ita ordinantur, ut artificiosa quaedam figura συμπλοκῆς efficiatur, I 77—81.

Ac tamen etiam non nullae aliae versus sedes quamvis paucis locis geminata verba produnt, sed ita produnt, ut eorum quoque collocatio caesuris terminetur.

Sicut enim verba repetita pedem incisum subsequuntur, ita etiam ipsa pedem incidunt. Atque qui extant eius generis loci hi sunt.

Primum vel secundum versus vocabulum eo loco repetitur, ut eius exitus caesuram aut πενθημ. cf. V 53—54. aut ἑφθημ. efficiat: cf. VII 74. VI 36. XIV 47. XII 3.

Aut denique illud vocabulum, quo hic versus finitur, in sequenti versu proxime aute caesuram πενθημ. repetitur: cf. III 10—11.

Iam vero monendum est, uno modo Theocritum normam illam, qua caesurae hoc dicendi artificium adstringunt, reliquisse, cum vocabula primi pedis proxime post tertii pedis exitum geminaret. Cf. II 113. III 2—4. V 60. XI 63. XV 82.

Singulorum autem verborum geminationis quasi necessitate alligatus est versus intercalaris, qui potissimum compositus est, ut apta quaedam et inter sese conveniens carminis partium discriptio efficiatur. Atque sicut ille Alexandrinorum poëtarum vel maxime proprius est, ita etiam Theocritus eum iis locis orationis suae adhibuit, quos maiore quodam artificio ad melicae artis rationem effingere studuit, carmini primo et secundo.